



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

## 608 Epistolarum Innocentij III.

cia & beneficia obtinentes, ob reverentiam apostolicæ sedis jam recesserint ab Ottone tyranno, ne sibi communicando contagione maculentur ipsius, & quidam sint in proximo recessuri, fraternitati vestra per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ne inde jacturam incurrant unde gratiam meruerunt, per totam Theotoniam faciatis auctoritate nostra districtitus inhiberi ne aliquis officia & beneficia eorundem præsumat à tyranno recipere memorato. Quod si aliqui ea recipere attentarent, ipsos sublati cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo beneficis & officiis ecclesiasticis, si qua obtinent, spoliatis, & faciatis eosdem tamquam excommunicatos ab omnibus arcitū evitari; contradictores per censuram ecclesiastica appellatione postposita compescendo. Quod si non ambo &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani 11. Non. April. anno xv.

*NOBILI VIRO GAVFRIDO  
de Villa Ardaini Principi Achiae.*

*Epiſt. 52.*  
Scribitur pro  
Canoniceis Pa-  
tracensis.  
*Vide lib. 13.*  
*epiſt. 159.160.*

**E**x parte dilectorum filiorum Canonorum regularium Patracensis Ecclesia nobis est oblatâ querela quod cùm de mandato nostro & Abbatis sancti Ruffi cum venerabili fratre nostro Archiepiscopo Patracensi ad partes accesserint Romaniae, præfatus Archiepiscopus honestè locavit eosdem in Ecclesia Patracensi, sed procurantibus Canonici secularibus loci ejusdem & R. Presbytero de Supteno ab eadem Ecclesia per laicalem potentiam sunt ejecti, & præfati seculares & quidam alii, quorum quidam fuere monachi, in eadem post appellationem ad nos legitimè interpositam sunt intrusi: qui statuentes oculos suos declinare in terram, spirituibus non intendunt. Ideoque discretioni tuae per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, eosdem reduci facias in Ecclesia memorata, & non permittas ipsums à quoquam, quantum in te fuerit, indebet molestari. Datum Laterani vii. Idus April. pontificatus nostri anno xv.

*In eundem modum scriptum est Episcopo Zaratonienſi. Ex parte dilectorum filiorum &c. usque spirituibus non intendunt. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, revocato in irritum quicquid post appellationem ad nos legitimè interpositam inveneris attentatum, memoratos Canonicos regulares in præfatam Ecclesiam sublati appellationis obstaculo reducere non pos-*

ponas, & facias eosdem ibidem pacificè commorari; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per centuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

*E I D E M.*

**A**d nostram noveris audientiam per venisse quod cùm episcopatus de Landrevilla unus sit de ditionibus & nobis horibus episcopatus Romanæ, tu & quidam alii possessiones & alia bona ipsius in animarum vestrarum periculum detinetes, ibidem Episcopum non permittis ordinari, occasione sumpta ex eo quod dilectus filius noster Benedictus tituli sancte Susanna Presbyter Cardinalis, tunc apostolica sedis Legatus, quatuor Canonicos instituit in Ecclesia cathedrali, afferentes præfatum Ecclesiam ordinari alter non debere. Quocirca nobilitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus possessiones & alia bona quae ad præfata Ecclesiam pertinere noscuntur, ei sine difficultate facias resignari. Nos enim venerabili fratri nostro Zaratomensi Episcopo nostris damus litteris in mandatis ut super statu prædicta Ecclesia inquisita plenus & cognita veritate, quod canonicum fuerit sublati appellationis obstaculo statutus, & facias quod statuerit per censuram ecclesiastica firmiter observari. Datum Laterani v. Idus Aprilis, anno quinto decimo.

*In eundem feri modum scriptum est super be-  
Episcopo Zaratonienſi. Ad nostram &c. usque  
ordinari alter non debere. Vnde ipsi Prin-  
cipi nostris damus litteris in mandatis et  
possessiones & alia bona quae ad præfatum  
Ecclesiam pertinere noscuntur, ei sine dif-  
ficultate facias resignari. Quocirca frater-  
nitatii tuae &c. usque mandamus quatinus  
super statu &c. usque firmiter observari.*

**C A P I T U L O P I V E R E N S I .**  
**D**ilectus filius W. Clericus veniens ad apostolicam sedem dilectorum filiorum Abbatis & Prioris sanctæ Mariæ ac Decani sancti Salvatoris Blefensis nobis litteras præsentavit, per quas iidem nostro apostolatui referarunt quod cùm vos auctoritate nostra monuerint diligenter ut præfato W. pro quo vobis tertio scriperimus, præbendam, si qua in vestra vacaret Ecclesia, juxta mandatum apostolicum liberaliter conferretis, mandantes ut eisuper hoc curaretis certo termino respondere, & in vestra Ecclesia quædam præbenenda interim vacavisset, inhibuerint vobis ne in elusionem mandati apostolici alii quam